Qu& cum &xiss& ad illum. benedixerunt illam omnes una uoce
dicentes. Tu gloria hierusalem. Tu laetitia israhel.
Tu honorificentia populi nostri. quia fecisti uiriliter & con
fortatum est cor tuum. eo quod castitatem amaueris. &
post uirum tuum alterum nescieris. Ideo & manus domini
confortauit te. & ideo eris benedicta in aeternum.
& dixit omnis populus fiat fiat. Per dies autem XXX uix
collecta est spolia assyriorum a populo israhel. Porro
[illegible] uniuersaque holofernis peculiaria fuisse probata sunt.
dederunt iudith. In auro & argento & uestibus & gemmis.
& omnae supellectilae & tradita sunt illi omnia a
populo. Et omnes populi gaudebant cum mulieribus
& uirginibus & iuuenibus. & in organis & in citharis.
XXVII Tunc cantauit canticum hoc iudith dicens. Incipite domino
in tympanis. cantate domino in cymbalis. Modolamini
illi psalmum nouum. exultate. inuocate nomen eius.
Dominus conterens bella. dominus nomen est illi. Qui posuit castra
sua in medio populi sui. Ut eriperet nos de manu omnium
inimicorum nostrorum. Venit assur de montibus aquilonis
in multitudine fortitudinis suae. cuius multitudo
obturauit torrentes. & equi eorum cooperuerunt ualles.
Dixit se incensurum fines meos & iuuenes meos occisu
ros gladio. infantes meos dare in praedam & uirgines
in captiuitatem. Dominus autem omnipotens nocuit eum. & tra
didit eum in manus faeminae. & confudit eum. Non enim

Judith, XV, 10 – XVI, 8